



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. VII. Theophili Raynaudi sententia exploditur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

filij, evidenter cognoscet in quam partem liberum arbitrium creatum, hac vel illa occasione oblatâ, seipsum determinabit, sub concursu indifferenti quem illi offert.

69. Tertiò, Comprehensio arbitrij creati terminatur ad omne cum quo habet necessariam connexionem: Ergo ejus supercomprehensio non sistet in effectibus necessariò connexis, sed ad actus liberos evidenter cognoscendos ut futuros pertinet. Patet Consequentia, nam supercomprehensio, cum sit perfectior comprehensione, plura attingit in objecto, quàm comprehensio.

70. Denique in nostra sententia, Deus certò cognoscit in libero arbitrio ut pramotò efficaciter, actus liberos, ut determinatè futuros; & tamen ut sic pramotum, cum illis indifferentè conne-ctitur, aliàs pramotio tolleret libertatem. Ergo in medio, & in causa indifferenti, potest effectus certò cognosci, & consequenter in arbitrio creato, etsi sit indifferentis, poterunt certò cognosci actus liberi futuri.

71. Ad primum respondeo primò, hoc testimonium D. Thomæ magis nocere quàm favere Molina: in eo siquidem docet Sanctus Doctor, futura contingentia posse certò cognosci, in causis secundis non impeditis, & supposito quòd cognitio impedimentorum certò innotescat: unde cum illa non possit certò Deo innotescere, nisi in decreto quod habet, de non impediendis causis secundis, ne suos effectus producant; antecederet ad tale decretum, Deus non potest in causis secundis effectus contingentes certò cognoscere.

72. Respondeo secundò, quòd quamvis Deus in causis secundis non impeditis, independenter à quocumque decreto, certò cognosceret futura contingentia; seclusò tamen decreto prædeterminante, non posset in libero arbitrio creato, ejus actus liberos futuros certò præscire. Ratio disparitatis est evidens, causæ enim naturales sunt ex se & ex sua natura determinatæ ad suos effectus producendos: v. g. arbor ad fructificandum, nubes ad pluendum hyberno tempore; unde nisi ab extrinseco, & à causis superioribus & potentioribus impediuntur, infallibiliter tales effectus producant; arbitrium verò creatum, cum ex se sit indifferentis, & indeterminatum ad operandum, vel non operandum, & ad eliciendos actus hujus vel illius speciei; & in principio omnino indifferenti, & indeterminato, non possit cognosci certus, & determinatus effectus (ut supra ostendimus) in voluntate creata, seclusà prædeterminatione divinâ, non possunt ejus actus liberi futuri, certò & determinatè cognosci.

§. præcedenti.

73. Ad secundum, concessò Antecedente, nego Consequentiam: licet enim Deus infinite perfectius cognoscat voluntatem hominis, quàm pater indolem, & mores sui filij: in illa tamen, non potest certò cognoscere ejus actus futuros, cum in ea non sint certò cognoscibiles, seclusà prædeterminatione divinâ: in principio enim indifferenti, ut indifferentis est (ut sæpe diximus) non potest cognosci certus, & determinatus effectus. Imò quantò magis penetratur, & quantò perfectius cognoscitur causa indifferentis & indeterminata, tantò magis cognoscitur ejus contingentia, & indifferentia ad operandum vel non operandum.

74. Ad tertium nego etiam Consequentiam: licet enim supercomprehensio excedat comprehensionem, ille tamen excessus non se tenet ex parte

A objecti; ita quòd comprehensio attingat in objecto aliquid quod non cognoscat comprehensio (de ratione enim comprehensionis, ut supra dicebamus, est ut nihil objecti lateat cognoscere) sed tantum ex parte modi cognoscendi, quatenus clariùs per illam videtur illud quod per comprehensionem obscurius cognoscitur. Unde ex eo quòd Deus voluntatem humanam supercomprehendat, solum potest inferri quòd in ea, antecederet ad decretum, habeat perfectiorem & clariorem cognitionem conjecturalem de actibus ejus liberis futuris, quàm Angelus qui eam tantum comprehendit. Quando autem dicimus Deum antecederet ad decretum, actus nostros liberos cognoscere conjecturaliter; non intendimus admittere in intellectu divino cognitionem conjecturalem ex parte subjecti (hæc enim importat imperfectionem dubietatis & incertitudinis, ex parte cognoscentis) sed cognitionem conjecturalem tantum ex parte objecti, & rei cognita, ut supra exposuimus: hæc enim nullam dicit imperfectionem in cognoscente, sed tantum in objecto cognito.

Ad ultimum, concessà Majori, distinguo Minorem: liberum arbitrium ut pramotum, cum actibus liberis indifferentè conne-ctitur: indifferenti libertatis, concedo. Indifferenti suspensionis, nego. Sive ut alij loquuntur: indifferenti actuali, & positivâ, concedo: indifferenti potentiali, & privativâ, nego.

C Explicatur breviter: In libero arbitrio creato duplex solet indifferentia distingui: una potentialis, & privativa, quæ consistit in carentia, & suspensione actus, & quæ ideo à quibusdam, *indifferentia suspensionis*: appellatur, quam voluntas habet antequam operetur; & hæc est imperfectio libertatis creata, illi conveniens ex eo quòd non est actus purus, ideoque non competit libertati divinæ. Alia dicitur positivâ, & actualis, quam alij vocant *indifferentiam libertatis*, quæ consistit in eo quòd voluntas quando actu operatur, & elicit aliquem actum, retineat

D potentiam ad oppositum. Dicimus ergo, liberum arbitrium creatum, antecederet ad efficacem Dei motionem, esse indifferentis primo modo; ac proinde in illo (seclusà divinâ prædeterminatione) non posse certò cognosci ejus actus liberos futuros. Suppositâ verò divinâ motione, & prædeterminatione, licet maneat indifferentis secundo modo (id est taliter agens, ut retineat potentiam ad oppositum) non est tamen indifferentis primo modo, & indifferenti potentiali, & suspensionis, id est suspensum, & absque ulla determinatione; sed determinatè respicit aliquem actum liberum, ut infallibiliter simul & liberè eliciendum. Quomodo autem cum illa determinatione libertas subsistat, suo loco dicetur.

§. VII.

Theophili Raynaudi sententia exploditur.

E X dictis facilè confutari potest sententia Theophili Raynaudi, asserentis loco supra citato, Deum scientiâ mediâ explorare, quid factura esset nostra voluntas, in his vel illis circumstantiis, si se sola, & absque divino concursu agere posset. In primis enim, si voluntas creata, ut habet ad junctum solum concursum simultaneum, & ut subest motioni, & gratiæ solum moraliter excitati, non potest esse medium, in quo Deus certò &

infallibiliter cognoscat ejus actus liberos futuros, ut contra Molinam ostendimus: à fortiori eadem voluntas, nudè & solitariè sumpta, & sine divino concursu considerata, non poterit habere rationem medij ducentis in certam & infallibilem, suorum actuum futurorum notitiam.

77. Secundo, Absurdissimum est fingere Deum hujusmodi hypothèses impossibiles facere, ad dirigenda sua decreta, vel ad temperandum suum cum causa libera concursum, ne ejus libertatem lædat, eis uti. Nos quidem eas facimus, quando ex absurdo, & impossibili nobis notiori, quod consequitur ex antecedente, aliud absurdum, nobis vel omnino ignotum, vel saltem minus cognitum, inferimus: Deo autem omnia æquè nota sunt, nec unum ex alio inferit, nulliusque rei possibilitatem, ex alterius impossibilitate, dijudicare potest.

78. Tertiò, Implicat Deum concipere aliquid possibile, independenter ab omnipotentia sua: Ergo cum futura, etiam sub conditione, æquè, imò magis à Deo dependant, quàm merè possibile, à fortiori repugnabit Deum posse concipere actum voluntatis create ut conditionatè futurum, independenter à sua causalitate & concursu.

79. Quartò, Inquirere quid homo faceret, si se solo ageret, & sine concursu Dei; idem est, ac investigare, quid facturus esset homo, si esset Deus; soli enim Deo convenit agere independenter à quocumque alio, & sine auxilio, & concursu alterius: At ridiculum est fingere quòd Deus exploret per scientiam mediam, quid homo facturus esset, si esset Deus: Ergo & absurda ac planè ridicula est Theophili sententia, qui, ut ab hac difficultate se expediat, in omne latus se vertit, sed eò arctius se implicat, quò magis enittitur se exolvere, ut planè esse mus in pice videatur.

80. Denique, Cùm Deus, iuxta Theophilum, inspicit voluntatem ex se quasi operantem, vel prævidet eosdem numero & specie actus, vel diversi generis? Primum aperitè repugnat, nam voluntas operativa ex se independenter à Deo, esset impeccabilis, & infinita: qui ergo fieri potest, ut conveniat iisdem numero & specie actibus, cum voluntate peccabili & indigna concursus Dei? Si verò secundum dicatur, scientia media non magis inserviet ad dirigendam providentiam divinam, quàm speculator qui referret duci exercitùs, non longè abesse agrum carduis & arbutis, instar aciei ordinatis, plenum, ut ex illo nuntio paret se perindè ad pugnam, ac si hostis accederet. Quis credidisset eo pruriginem & licentiam ingeniorum devenisse, aut eà verigine circummagi potuisse, ut totum providentia divina cardinem constituant in cognitione, nescio quàm, exploratrice actionis Chimerice, elicienda à creatura, si esset Deus, aut quod perinde est, si se solà posset agere independenter à Deo: inquit eleganter P. Baronius libro de libertate humana & gratia divina. Dum hanc Theophili sententiam paulò attentius perpendo (subdit idem Author) venit mihi in mentem, dictum illius Hispani, qui inspectà mole & magnificentia templi Divo Laurentio Sacri, & Hieronymitarum Monasterij, quod infinitis sumptibus extruxit Rex Catholicus Philippus II. voti reus, post victoriam ad Sanctum Quintinum die Festo Divi Laurentij de Gallis reportatam, quasi attonitus exclamavit: horrendum fuisse periculum: cujus evadendi causà, iam grandi sacramento se Rex obstrinxerat. Ita de hac Theo-

Tom. I.

A *phili sententia censeo: nisi causam suam gravissimè periclitari, ac penè desperatam sensisset, nunquam instar Currij, pro salute publica, se in profundam abyssum precipitem dedisset. Nam præter multa quæ objecimus, quid dicturus esset, si adhuc viveret, ad argumentum de operationibus supernaturalibus? Responderetne eas cognosci certò futuras, etiam si fingamus, nullo Dei adjutorio egere, quasi se solà, & vi naturali possit voluntas prorumpere in operationes, cujuscuque sint generis, etiam supernaturalis?*

§. VIII.

Rejicitur modus dicendi Suaris.

B *S*varez libro de scientia conditionatorum cap. 8. cui adhæsit Fasolus hic dubio 18. docet Deum in aliquo signo rationis, antecedenter ad decretum, ut exercitè in illo existens, ipsum cognoscere ut futurum; & in illo ut sic cognito, futura contingentia, & libera certò præscire. Nec quantum ad hoc, aliquod discrimen constituit inter futura absoluta & conditionata. Quem etiam modum dicendi amplectitur Fonseca in Metaphylica, loco supra citato. Hæc tamen sententia meritò displicet, non solum Thomistis, sed etiam cæteris Societatis Authoribus, & scientiæ mediæ Defensoribus; illamque suppresso Authoris nomine rejiciunt Vazquez disp. 65. cap. 4. Arrubal disp. 47. Herice disp. 7. cap. 9. & alij plures ejusdem familiæ, cum quibus

C *Dico, Deum non cognoscere futura contingentia, & actus liberos nostræ voluntatis, antecedenter ad suum decretum, ut exercitè existens, in ipsomet decreto cognito ut futuro.*

D *Probatum primò: Deus non cognoscit, nec potest cognoscere sua decreta ut futura: Ergo neque præscire futura contingentia & libera in suo decreto, cognito ut futuro in sequenti signo rationis. Consequentia patet, Antecedens verò multipliciter probatur. Primò ex D. Thoma qu. 6. de veritate art. 3. ad 10. ubi dicit: Actus prædestinationis, cum mensuretur æternitate, nunquam cadit in præteritum, sicut nunquam est futurus; sed semper consideratur, ut egrediens à voluntate per modum libertatis. Quibus verbis clarissimè docet, decreta in Deo non posse esse, vel concipi ut futura, sed solum ut præsentia, & ut actu egredientia à voluntate divina.*

E *Secundo, Deus cognoscit suum decretum intuitivè: Ergo illud cognoscit ut præsens, non verò ut futurum. Consequentia patet, in hoc enim distinguitur cognitio intuitiva ab abstractiva, quod prima terminatur ad rem, ut præsentem, & existentem; secunda verò abstrahit ab ejus præsentia, vel existentia.*

Tertiò, Illud quod concipitur ut futurum, concipitur sub non esse, seu sub expectatione & transitu à non esse ad esse: Sed nihil in Deo potest concipi sub non esse, vel sub transitu à non esse ad esse, cùm Deus sit actus purus, & ipsum esse per essentiam: Ergo nihil potest in illo esse, vel concipi ut futurum.

Denique, Decretum Dei est æternum, & ut tale à Deo cognoscitur: Ergo non cognoscitur ab illo ut futurum. Consequentia manifesta est; futuritio enim repugnat æternitati, & destruit conceptum ejus essentialem: cùm enim sit indivisibilis & tota simul, non novit præteritum & futurum, sed quicquid in ea est, non nisi est, ut dicit D. Augustinus super Psalmod. 101. Ergo

G g iij

Pagina 122.

Pagina 188.

81.

82.

83.

84.

85.